



ELTE BTK ÓKORTUDOMÁNYI  
INTÉZET  
LATIN NYELV ÉS IRODALOM TANSZÉK

ARPINÓI NEMZETKÖZI CICERO-  
VERSENY  
HAZAI VÁLOGATÓJA



**Marcus Tullius Cicero: *De Risu***

**(De Oratore 2, 58, 235-236.)**

Ac ne diutius vos demorer, de omni isto genere quid sentiam, perbreuiter exponam. De risu quinque sunt quae quaerantur: unum quid sit; alterum unde sit; tertium sitne oratoris velle risum movere; quartum quatenus; quintum quae sint genera ridiculi. Atque illud primum, quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quo modo existat atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere nequeamus, et quo modo simul latera, os, venas, oculos, voltum occupet, viderit Democritus. Neque enim ad hunc sermonem hoc pertinet et, si pertineret, nescire me tamen id non puderet, quod ne ipsi illi quidem scirent, qui pollicerentur. Locus autem et regio quasi ridiculi — nam id proxime quaeritur — turpitudine et deformitate quadam continetur. Haec enim ridentur vel sola vel maxime, quae notant et signant turpitudinem aliquam non turpiter. Est autem, ut ad illud tertium veniam, est plane oratoris movere risum, vel quod ipsa hilaritas benevolentiam conciliat ei, per quem excitata est, vel quod admirantur omnes acumen uno saepe in verbo positum.